



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

Venerabilis Sacramentifesto Paraphrasis in Epistolam B. Pauli I. Corinth.
XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

IN DIE VENERABILIS SACRAMENTI.
IN FESTO VENERABILIS SACRAMENTI,
Epistola B. Pauli Apostoli, I. ad Corinth. XI.

397

Ravres, Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus noster Iesus Christus in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini. Ideo morietur vos mali infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicavimus, non utique iudicemur. Dum iudicamur autem à Domino corrumpimur: ut non cum hoc mundo damnemur.

Matth. 26.
Marc. 14.

Luc. 22.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

Hac lectione Apostolus eam Christi Iesu Dei ac Domini nostri charitatem nobis commendat, qua is tantum nobis præstitit beneficium, quo non potuisset vllum præstitisse maius: nempe præstantissimum sui corporis & sanguinis sacramentum, cui tota diuinitas inseparabiliter coniuncta est. Qua quidem ineffabili charitate ac beneficentia sua nostros voluit sui amore inflammare animos, nostra accendere pectora, ut totos nos illi rependere non dubitemus, qui se totum nobis impendit. Et reuera quid magnum est, si nostra exiguitas totam se illi rependat, quâdo ipse Omnipotens & immensus totum se nobis tribuit, non aliquo fructu aut emolumento suo, sed grandi utilitate nostra? At ergo S. Apostolus: Fratres ego accepi à Domino, diuinâq; traditione didici, quod & tradidi vobis, vosq; summa fide & diligentia edocui, sicut & dignum fuit tantam rem serio vos ac studiosè edoceri: quoniam Dominus noster Iesus Christus, in ea qua nocte tradebatur à Iuda, qui fuit dux eorû qui eum comprehenderunt, accepit panem azymum, (eo enim iuxta præceptum Domini vescabantur Phæse celebrantes) in sanctas & venerabiles manus suas, & gratias agens Omnipotenti Deo Patri suo, benedixit, fregit, ac ait discipulis suis, qui illius vltimæ cœnæ coniuuæ fuêra. Accipite & manducate corde & ore, fide & dilectione. Hoc est corpus meum, quod pro vobis paulo post tradetur extremo mortis supplicio. Non dixit, Apparet, aut significat, (quod hæretici fingunt, qui Dominici corporis & sanguinis in hoc sacramento negât veritatè) sed, est & verè est corpus, non panis, sed meum. Quod etiam planè declarat pronomen demonstratiuum. Hoc, quo demonstrabat substantiam illam, quam in manibus haberet se illis traditurum. Hoc facite in meam commemorationem, id

Adoc. 1.

Exod. 12.

Matth. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

ddd 2 est,

est, mez passionis, mortis, charitatis ac fidelitatis memoriam. Vide quanto perè pius Dominus memoriz nostræ affixa voluerit ea, quæ pro nobis, pro nostrorum abolitione peccatorum, pro nostri cum Deo Patre reconciliatione, ac pro redemptione nostra agere ac perpeti dignatus est. Namque hac ex causa etiã tam excelsum & venerandum instituit sui corporis & sanguinis sacramentum. Et tamen ò detestandam & omni lachrymarum fonte plangendam hominum ingratitude, qui totos sæpe dies, menses & annos transigunt, vt nec semel quidem ea qua decet gratitudine Domini Dei sui acerbissimos, quibus redempti sunt, dolores commemorent. Hocine est Christianum esse, tantæ charitatis tam immemorem viuere? O quam diras & tamen iustas olim dabunt penas, quos tædet vel breui spacio mente tractare arcta & penas Domini Iesu: & noctes atque dies vel de rebus aureæ conquirendis, aut de carnis suæ voluptatibus, aut obtinendis honoribus cogitare non tædet: imo etiam vehementer delectat. Sequitur. Similiter & calicem postquam cœnauit, accepit, consecrauit, & sumendum dedit Apostolis, dicens: Hic calix, id est, hoc contentum in hoc calice sive poculo, est meus sanguis, cuius effusione nouum confirmatur Testamentum, sicut olim vetus asperione sanguinis vitulini confirmatum est. Distinguitur autem Nouum Testamentum à Veteri: quod Nouo promittuntur æterna & cœlestia bona, sicut Veteri terrena & temporaria populo illi carnali Israel promittebantur. Hoc facite, inquit, quotiescunque bibetis hunc calicem consecratum, in meam commemorationem. Ecce secundo repetit, vt in sui commemorationem hoc sacramentum percipiamus & coniciamus. Vnde cauendum est, ne is, qui tantum beneficium sumpturus accedit ad altare, Christi Iesu passionem, mortem & charitatem non ante animo reuoluat. Nec tamen tum solum hæc ad memoriam reuocanda sunt, quando Eucharistiam sumpturi sumus: sed danda operæ est, vt nunquam ex nostris cordibus abscedant: ita vt vbicumque simus, aut quicquid vel loquamur, vel agamus, semper nobis ob oculos versetur imago Christi in cruce pendens: atque illius contemplatione prospera mundi despiciamus, & aduersa æquanimiter perpeti discamus, eiusdemque Saluatoris tam indigna pro nobis patientis amore feruētissimi accendamus. Sequitur iam Apostolus, & Christi verba exponens, ait Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, id est, corpus Christi, panis specie velatum, & calicem, id est, sanguinem Christi, bibetis, mortem illius debemus annuntiare, & commemorare, donec veniat ad iudicandos viuos & mortuos, sive bonos & malos. Sed ne putemus temere ad mensam Domini accedendum esse subiungit Apostolus, quod merito quemlibet terrere possit. Itaque, quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, id est, cum peccati mortiferi, cuius ipsum non pœniteat, conscientia. (Is enim omnium Theologorum sententia indigne accedit) reus erit corporis & sanguinis Domini, hoc est, non secus sceleri erit obnoxius & oblitus, quam si sanguinẽ ipsum Domini fuderit. Verè tremenda sententia: quam vtinam bene attenderent plerique, qui cum sint corde & corpore polluti, Deum Dei & virginis Filium accipere non videntur: quod hodie pro dolor nimis commune est. Sed respiciant tales, faciantque quod Apostolus

Ingratitudo Christianorũ quanta erga tantum sacramentum Eucharistiz.

Lucæ 22.

Leuit. 4.
Hebr. 9.

Testamenti veteris à nouo distinctio qualis.

Passionem Domini memoranda ante Eucharistiz sacre cõmunionem.

Mortẽ Christi annuntiare quid sit.

Indignus qui non dicitur cõmunicatus.

subsequutus hortatur: Probet autem seipsum homo, hoc est videat & penset quid sit, quod accipit: quo pacto sumit, an religiosè ac deuotè, vt habeat voluntatem Deo subditam an attentè accipiat, exclusis euagationibus nimis & quis sit ipse qui sumit, num videlicet sit fide, spe & charitate præditus, quatenus id humano modo scire licet, discutiatq; & scrutetur conscientiam suam, num quod inuis lateat peccatum, præsertim mortiferum, idq; primum quidè Deo, deinde etiam sacerdoti vero cum dolore ac emendandi firmo proposito confiteatur: atq; ita purgatus penitentia & confessionis sacramento, & Dei benignitate nihil hæsitans, edat de pane illo, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, non prius examinata & repurgata conscientia, iudicium sibi manducat, & bibit: fitq; æternæ damnationi obnoxius, quandoquidem à cæteris ecclis non diiudicat & discernit corpus Domini, neque tremendam Dei attendit maiestatem in hoc sacramento latentem. Ideo inter vos multi infirmi corpore & animo varijs afflictis morbis, & in vitia procliuës. Qui enim polluta conscientia summæ puritatis Dominum in se recipere non metuunt, ij ferè omnium semper sceleratissimi efficiuntur maximè si id vertant in consuetudinem. Vt enim de Iuda scriptum est, quod post buccellam sumptam intrauerit in illum satanas, ita & in istos dzmones ius sibi vendicant, eisq; ad omnem suam abutuntur voluntatem. Neque solum aduersa quidam corripuntur valetudine ob indignè percepta hæc sacramenta, sed etiã sopore mortis immaturè obruuntur. O quam multi in vltionem tanti sceleris subito pereunt, & tamen pauci animaduertunt. Verum si nosmetipsos diligenti conscientie examinatione diiudicemus, non vtiq; indicaremur, neque eiusmodi omnipotentis Dei plagas pateremur. Dum iudicamur autem in præsentis vita, à Domino corripimur, qui quos amat arguit & castigat: vt non cum huius mundi amicis, quibus sepe impunè cedit quicquid delinquant, quæ est grauissima ira Dei, damnemur, atque illis mancipemur supplicijs, vnde nullus pateat vnquam exitus.

Indigne communicantis vitam quam deservenda restet.

Apoca. 9.

EXEGESIS EVANGELII IN EADEM
solemnitate. Ioan. VI.

A pud nullum Euangelistam tanta feruntur de diuinissimo Euchariæ sacramento, cuius hodie festum colit diem Ecclesia catholica, gaudens & gratias agens Deo pro tam insigni munere, atque apud D. Ioannem: Decuit nimirum rem præclarissimam à præcipuo describi Euangelista, qui ex Dominici pectoris fonte hauserat tanti mysterij vberem notitiam, atq; etiam frequenti illius vsu quid in se gratiæ, quid virtutis, quid dulcedinis contineret, abundè didicerat. Neq; sanè nobis vulgariter commendatum esse voluit cuius tam studiose copiosèq; meminuit: imo verò vt summo illius desiderio & amore accendatur præ cæteris Euangelistis diligentius suo in Euangelio Christi verba quæ inde habuit, profecutus est. Quæ nos dilectissimi fideliter, piè ac sedulo considerare debemus, vt agnoscamus Christi erga nos benignitatem, & tantæ gratiæ excellèntiam, in qua totus continetur Christus tam secundum diuinitatem: totumq; se præbet omnibus, puro corde ipsum percipientibus, idq; immenso cum fructu. Quis enim possit ambigere infinitis ditari bonis qui Christum verum Deum intra
ddd 3. sui

fui pectoris habitaculum recipat? Itaque vt tantam gratiam avidè esuriemus ac appetamus inter alia multa, quæ apud Ioannem sexto capite inde dixisse legitur, præsentis Evangelij verba locutus est.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

Videmus quantopere homines corporis sui cibum ac potum appetant, qui tamen neque diu, neque semper sumètes exarant. Nam velint nolint, vbi quod sumptum est natura concoxit, mox redit fames & sitis, rursusque potus & esca adhibenda est, atque nihilominus corpus moritur. De hac autè spiritali alimonia eodem capite apud Ioannem dicitur. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Si ergo in tantum appetitur esca corruptibilis, cuius tamen tam breuis & angustus effectus est, quanto vehementius esurienda est caro Christi, quæ plenam satietatem & vitam præstat æternam: de qua hic dicitur: Caro mea verè est cibus, non quidem ventrem implens, sed mentem reficiens, cuius effectus est non momentaneas corporis restaurare vires sed animæ vitam conferre sempiternam: quod idem & sanguis facit, vt pote qui verè est potus, non corporis, sed animi.

Et merito quidem Dominus Iesus carnem suam verè cibum, & sanguinem suum verè potum appellat. Namque cibus corporeus, vt ait Dicitur Guilielmus Parisiensis Episcopus, si bene attendas, falsè cibi hominis nomen habet. Non enim ad verum hominem pertinet, vt pote qui minime cedit in hominis interioris, qui pro sua dignitate & excellentia verus est homo, alimoniam, sed tantum alimur illius, nempe corpus nutrit. Porro Christi caro & sanguis hominem interiorem alit & confirmat, sicut etiam Psalmista meminit, Panis, inquit, cor hominis confirmet. Vnde iure debuit veri cibi nomen obtinere. Porro soli experti nõrunt, quam rectè dictum sit à Domino: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Homines sceleribus dediti nihil inde nouerunt, imo verè talibus non cibus est, sed potius exitiale venenum, non quidem sui natura, sed illorum visio. Qui autem animis bene affecti sunt & constituti, miram sentiunt interioris hominis ex hac esca salutifera corroboracionem, ita vt ea sapius etiã in corpus redundet. Legimus quosdam Dei homines huius vnus esca vsu vitam sustentasse, nec vllò præterea alio cibo habuisse opus. Et quid mirum si tantam habeat vim caro Christi, quando illi semper tota diuinitas coniuncta est, cuius virtute cuncta subsistunt? Sed quanta est horum temporum calamitas, quantus tepor, quanta incuria, vt cibum corporis omnes summo opere cupiant: cibum autem animæ, qui propriè est caro Christi vnita verbo, omnes penè fastidiant? Offert sese totum Filius Dei, optat sese intimè nobis coniungere, atque communicare: & quasi vile sit hoc donum, vix adducere possunt homines, vt ter quaterve in anno sese præparent ad communicandum. Vnde etiam dubium non est, euenire illis quod Dominus terribiliter ait: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Olim in ipsius nascentis Ecclesiæ initijs tantus erat feruor credentium pectoribus, vt quotidie communicarent. Hodie qui semel in anno communicat, satis sibi Christiani hominis officio functus videtur. Lutherani hæretici Dominicis diebus multi numero currunt ad coenam Domini

Corpus & sanguis Christi quid in fumentis digeratur efficiatur.

Cibus corporeus vt f. llo vocetur cibus hominis.

Psal. 103. Cibus hominis quinam vero iure vocetur Ioan. 6.

Solo sacramento altaris quosdam in veroque homine sustentari.

Ioan. 6.

IN DIE VENERABILIS SACRAMENTI.

399
Lutheranorū
communie
qualis sit.

Domini ut vocant, & possent videri quodam sancto feruore duci. Sed quia propria temeritate ab Ecclesia consuetudine recedunt, & vtramque speciem sumere volunt, tanquam non sit totus Christus sub alterutra specie, iam planè certum est hunc feruorem non ex Deo, sed in solo spiritu proficisci. Nimirum enim in veritum semper cupimus, negata. Si Ecclesia Catholica præciperet, ut sub vtraque specie singulis Dominicis diebus communicarent, aut nulli aut paucissimi ex ipsis quoque Lutheranis id agerent. Iam quando Ecclesia iustissimis adducta rationibus iubet populo sub altera tantum specie, in qua totum quod sub vtraque, reuera continetur, tam excelsum & tremendum porrigi sacramentum, omnes spreto Ecclesie, & per consequens spreto Dei iudicio sapius communicare volunt. Sed quo fructum agant ex vita illorum abunde perspici licet. Sequitur.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

Iudas proditor Domini, carnem Christi edie, & sanguinem bibit, nunquid etiam ille mansit in Christo, & Christus in illo? Minimè. Nam scriptum est, quod post buccellam intrauerit in illum diabolus. Non igitur verba hæc simpliciter accipienda sunt, sed sanè intelligenda. Nemo putet satis esse manducare Christi corpus, & sanguinem bibere, nisi dignus sit, qui manducet. Qui peccato morti ferro obnoxius est, nec tamen dolet, nec confitetur, is si accedat ad mensam Domini, vtiq; non manet in Christo, nec Christus in illo: imo verò totus in anima moritur, quandoquidem vitam illius, id est, Christum à se excludit. Quomodo enim non excludit à se Christum, qui intra conscientiam peccatum retinet, quod Christus summè execratur & odit? Is igitur qui ob amorem Dei dolet se peccasse in Deum, & facit quod ex Dei & Ecclesie præscripto constat esse faciendum, statuitq; deinceps, quantum humana sunt imbecillitas, vitare peccatum, & vitam suam diuinæ conformare voluntati, si Christi sacramenta percipiat, & ipse vtiq; manet in Christo per fidem & bonam voluntatem, quæ teste Augustino, charitas est, & habet in se manentem Christum per gratiam & præsentem inhabitationem, quamdiu à vicijs immunem se seruat.

Hæc est reuera vita felicissima, manere videlicet in Christo per amorè & studiosam executionem mandatorum eius, ita ut semper sollicitus sit illius parere iussis, & cauere quæ ille vetuit: & si quandoque labatur humana præuentus fragilitate, aut diabolica seductus persuasione, tamen cito respiscat, nec ad iniuriam summi Dei in vitiorum cæno perseveret: atque etiam habere in se manentem Christum, sui videlicet rectorem & gubernatorem, ita ut non proprio viuat corruptæ voluntatis arbitrio, sed illius spiritu agatur ad implendam iustitiam omnem: quod nihil est aliud, quam Christi vestigijs ingredi: qui cum à Ioanne baptizari vellent, & is recusaret baptizare Dominum suum, ait ad eum: *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Vnde etiam S. Ioannes Euangelista prima sua Epistola sic ait: *Qui dicit se in Christo manere, & per consequens Christum in se manentem habere (non enim possunt hæc separari) debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Quod qui non facit, non vtiq; manet in Christo nec Christus in illo, ddd 4 etiam

1028. 19.

Quisnã verò
dicatur ma-
nere in Chri-
sto, & Chri-
stus in eo.
August.

Matth. 3.

1. Ioan. 2.

etiam si Christum quotidie manducet: nec tamen propterea minus vera est hæc, quam modo tractamus sententia Christi: quandoquidem nec ita manducat carnem & bibit sanguinem Christi, sicut Christus se voluit manducari. Ita rursus ait idem Ioannes: Qui seruat mandata illius, in illa manet, & ipse in eo. Sed dicat aliquis: Si mandatorum obseruatio id præstat, vt maneam in Christo, & Christus in me, quid necesse erat hoc institui sacramentum, cuius perceptione hoc idem promittitur? Cui respondendum primo quidem etiam hoc esse mandatum Christi, vt ipsum in sacramento sumamus, atque ideo quisquis id contemnit, non seruare eum Christi mandata. Nam et si alia omnia, isto excepto, seruet, tamen reus est, teste Iacobo apostolo, ita dicente: Qui impleuerit totam legem, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Deinde et si mandatorum executio id præstat, vt nos in Christo & Christus in nobis maneat, tamen huius diuiniissimi sacramenti dignam perceptionem longè excellentius id præstat. Non enim vulgaris datur gratia dignè communicantibus, nisi quis dubitet vllam posse à Deo denegari gratiam illi, cui se totum impertit: quod nimirum in hoc sacramento. Vnde nihil ambigi debet, etiam si quis iam in Christo maneat, & Christum in se habeat manentem, digna tamen huius sacramenti crebraque sumptione id eum assequi, vt longè excellentius, firmitus, perfectius & ipse in Christo & Christus in ipso perseueret. Id quod etiam euidentissima experientia sentiunt fideles, hoc sacramentum cum bona voluntate & cordis puritate crebro percipientes: non quidem arida ducti consuetudine, sed maioris gratiæ desiderio, studioq; Deo placendi, & virtutum obtinendi incrementa. Sequitur.

Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem. Et qui manducat me, & ipse viuere propter me.

Pater viuens
quia Deus
Pater dicatur

Ioan. 5.
Augustin.

Ioan. 6.

Viuere propter
Christum
quid sit.

De spiritu
Christi quomodo
quis viuere
possit.

Pater misit Filium humanæ carnis substantia indutum, vt genus humanum sua immerita morte ab æterna morte redimeret. Dicitur autem viuens Pater, quia vitam habet in semetipso, & est omnino incommutabilis, æterna & modis omnibus absoluta vita. Et sicut ipse vitam habet in semetipso, sic dedit & Filie vitã habere in semetipso, hoc est, vt D. Augustinus exponit, genuit Filium habentem vitam in semetipso. Vnde hic iam dicitur: Et ego viuo propter Patrem, id est, ab eo vitam habeo, idq; non secundum diuinam duntaxat, sed etiam humanam naturam. Filius namque Dei est Deus de Deo, vita de vita, lumen de lumine. Sicut ergo propter Patrem Filius viuere, sic qui manducat dignè Christum in sacramento, viuere propter Christum, id est, ex illo & ab illo tanquam membrum è suo capite viuere accipit per influxum & communicationem gratiæ ac Spiritus Christi: quæ qui non habet, putre membrum est, & à Christi corpore alienum, vnde non viuere vitæ spiritali, licet corporea non sit destitutus. Vt enim anima hominis vitam non ministrat membro putrido vel à corpore resicato: ita qui à Christi corpore abscessus est, non viuere de spiritu Christi. Vt ergo de Christi spiritu vitam habeamus, manducemus Christum, Christoque vniamur & incorporentur, vt vitam in nos suam deriuare possit. Simul aduertendum hic, quamobrem sese nobis in sacramento relinquere voluerit, vt scilicet ipsum

ipsum manducando illi incorporemur, & vitam gratiæ ex ipso hauriamus: quam nisi manducemus, certum est nos diu tueri non posse, sicut ipse ait: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominũ & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, vitam scilicet gratiæ, quæ non potest haberi sine Christo. Ioan. 6.

Overè pius & misericors Dominus, qui ne nos præ inopia ac inedia spiritus moriamur, seipsum nobis escam parare dignatus est.

Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut patres vestri manducaerunt manna & mortui sunt.

Apud eundem B. Ioannem paulo superius dixerat Dominus: *Panem quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Certum est autem carnem Christi non de cælo descendisse, sed assumptam ex virgine. Quomodo igitur dicit Dominus panem quem ipse daturus sit, de cælo descendisse? Ioan. 6. Caro Christi quo modo dicitur descendisse de cælo. Quæstio hæc nihil habet ambiguitatis apud eos, qui in scripturis divinis & sanctorum Patrum monumentis versati sũt. Vult enim Dominus hoc loco, sicut & multis alijs, in duabus naturis personæ unitatem in se intelligi. Ita ergo etiam caro Christi descendit de cælo, sed ob unionem inseparabilem, qua verbo coniuncta est. Quod maxime inuitare nos debet ut tanto avidius escam hanc salutiferam eiuriamus: quandoquidem totus hic nobis Christus & Deus verus & homo verus præbetur. Iudæi quidem iactabant patres suos in deserto manducaisse: quod tamen huius cibi non nisi figura quædam fuit, sicut etiam alia multa illi populo in figuris contingebant: sed Dominus eorum iactantiam compescens, ad se ipsum nempe verum manna eos reuocat, dicens: primo patres eorum, etsi manna ederint, tamen illo cibo obtinere non potuisse, quin omnes in corpore, plerique verò etiam in anima mortui sint, deinde adiciens.

Qui manducat hunc panem viuere in æternum.

Qui enim Christum manducat, vitam edit æternam, atque eius participatione etiam ipse in vtroque homine immortalis efficitur: anima quidem semper viuente, corpore autem in extremo die excitando, ut deinceps in omnem æternitatem viuat cum anima, cui se morigerum præbuit instrumentum. Ioan. 14. Quid hic disturi sumus nos miseri, nos ingrati & tepidi? Promittit nobis sese manducantibus Christus vitam æternam, & certè fallere aut mentiri non potest, quia veritas est: & tamen quotusquisque est, qui Christum esuriat? O tempora, o mores. Agedum charissimi excutiamus mentis latiferum soporem, agnoscamus Christi benignitatem & misericordiam, utamur eius munificencia. Inuitat nos promissis, imo etiam minis cogit & urget, ut se manducemus. Ne quæso pigeat nos illius accedere conuiuium. Si nos amicus aliquis inuitet, ad prandium vel cœnam, certè abesse veremur. Ecce rex omnipotens, Dominus cæli, Pater & creator, summus & fidelissimus amicus noster inuitat nos ad conuiuium suum, in quo seipsum proponit ad edendum & bibendum, & nos ad esse audebimus. O quam malè immutati sunt mores populi Christiani: quam in peiorè partem pro dolor mutata sunt omnia. Olim feruenti spiritu & flagrantissimo desiderio quotidie Christi fideles inhiabant sacre cõmunioni, & illius participatione viuifici sacramenti magis magisque pinguescebant spiritu, amore inflammabantur,

Tepor huius
seporis quan-
tus ad com-
municandū
Christi sa-
cramento.

virtutibus omnibus augebantur, ita vt non aliter ad sanctissimā quęq; p̄
Christi fide & amore perferenda tormenta, quam ad exquisitas epularū pro-
perarent. Hodie omnes ad hunc cibum nauent, & nihil minus libet, quā
vium & verū Deū, id est, verā & viuacissimā vitam edere. Et tamen panis
iste, panis vitę est, preparatus in sustentaculū & vitę membrorū Christi, in
viuā de spiritu Christi. Et sicut nihil melius, nihil facilius, nihil appetitius
immutatur in corpus nostrū, quā panis: pari modo vt immutemur in Chri-
stum, datur nobis hic cibus: quē qui māducat, non mutat illū in se, sicut cibus
corporis sui: sed ipse in illū mutatur vt in ipso, & ex ipso viuat. Cur igitur
desides sumus ad manducandū Christū vitam nostrā? Nonne ipse dicit, *Si
manducaueritis carnē Filij hominis & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitam in
vobis?* Si desperatur vita illius, qui corporis necessariū non admittit alimentū,
anne desperandus est, qui animę vitā respuit? Optat Christus, atq; adeo re-
hementissimē delectatur cōnare nobiscū, & seipsum nobis edendū prębere,
plenū omni gratia & omnibus bonis, non quod indigeat honorū nostrorū,
sed vt nos immutet in se, vt vnū & idē secum efficiamur ab ipso est, dignū,
in corpus ipsius vegetati. Cur igitur tantā gratiā non modo negligimus, sed
etiā aspernamur? Nimirū nō alia huius ratio est, nisi quia plane memis-
opes sumus. Dolendū est, eo rem rediisse apud Christianos, vt semel in anno
communicasse satis videatur. Quod quāto charitatis & gratitudinis ergo
Deū signū esse potest tam raro ad Eucharistię sacramentū accedere, quod
le in sui memoriā instituit? Quid est aliud tam raro cōmunicare, q̄ Christi
eiusq; beneficiorū esse immemorē? Esto Ecclesię pręcepto satisfaciat, qui
semel in anno cōmunicat, tamen videat si etiam Deo & rectē rationi satis-
fatis. Certum est maximi teporis iudiciū esse raro tam celsū percipere be-
neficium. Vitā Christiani omnes eo adduci possent, vt quemadmodum
Augustinus hortatur, singulis Dominicis diebus cōmunicare vellent. cur
meliori in statu res nostrę forent. B. Cyrillus doctissimus atq; sanctissi-
mus Episcopus efficacissimis verbis ad crebram communionem incitans
omnes cupiēs, ita ait: Sciant baptizati homines, & diuinę gratię participato-
fecti, si rarius in Ecclesiam proficiantur, & longo temporum spacio pro-
pter simulatam religionem, mysticē communicare Christo recitent, ab
terna se vita procul depellere. Quippe recusatio huiusmodi, quāuis ex
ligiōe proficiēti videatur, & scandalū facit, & laqueos instruit. Quare opor-
tet omnibus virib; à peccato mūdari & rectē viuendi iactis fundamentis, ma-
gna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. Sed varix sunt diaboli
multiplicesq; ad decipiendum insidie. Nam primum ad viuendum carnis
inducit. Deinde cum malis onerati fuerint, tunc à Christi gloria abhorrent
persuadet, quā possent à turpitudine voluptatis quasi ab ebrietate reuocari.
Quare demus operā, oro, vt vinculis diaboli abruptis, & iugo seruicitie
excusso, in timore Domini seruiamus, & carnis voluptate per continentiam
superata, ad cęlestem gratiā accedamus, corporisq; Christi participes effi-
amur. Sic enim, sic, inquam & diabolum fugabimus, & diuinę naturę par-
ticipes, ad vitam & incorruptibilitatem atcendemus. Ac deinde ita habet
idem venerabilis pater: Nos verō si vitam æternam consequi volumus,
largitorem immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipiendam
beatitudinem

Ioan. 6.

Apocal. 3.
Psalm. 5.

Ad cōmunio-
nem sacra-
menti cur
Christiani
hoc tempore
sint adeo de-
sides.

Cōmunicare
rarius sacra-
mento corpo-
ris cuius rei
sit iudiciū.
August.
Cyrillus.

Quare frequē-
tius commu-
nicandum sit
Christi sacra-
mento.

Psalm. 2.

benedictionem (Eucharistiam dicit) libenter concurramus, caueamusq; ne
 loco laquei damnosam religionem diabolus nobis prærendat. Rectè dicitis:
 Scriptum non ignoramus, iudiciū sibi comedere & bibere illum, qui de pane
 comedit, & de calice bibit indignè. Ego igitur probo meipsum, & indignum
 inuenio. Quando igitur, quicumque tu es qui ista dices, dignus eris? quādo
 Christum reipsum offeres? Nam si peccando indignus es, & peccare non des-
 tinus (Quis enim delicta intelligit secundū Pfalmistā) expers omnino eris
 huius vniuersæ sanctificationis. Quare pias quæso cogitationes suscipias,
 studiosè sanctæq; vitas, & benedictione (id est, Eucharistia) participes, quæ
 mihi crede, non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Se-
 dat enim cum in nobis manet Christus, sequentem membrorum nostrorum
 legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: nec in qui-
 bus sumus peccatis considerat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, &
 sicut pastor bonus, qui animam suam pro ouibus suis posuit, ab omni nos
 erigit casu. Hæc Cyrillus. Clemens quoque Pontifex Maximus in qua-
 dam Epistola sic habet: In perceptione corporis & sanguinis Domini ma-
 gna discretio adhibenda est. Cauendum enim, ne si nimium in longum dif-
 feratur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Nisi mandu-
 caueris carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*
 Erpost pauca: *Probet, inquit, seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bi-
 bat, vt videlicet ab operibus carnis purificans corpus animamq; suam, præ-
 paret se ad percipiendum tantum sacramentum. Et Diuus Hilarius Episco-
 pus. Timendum est, inquit, ne diu abstractus à corpore Christi, alienus re-
 maneat à salute. Qui peccare quieuit, communicare non desinat. Sunt & a-
 liz sanctorum Patrum consimiles sententiæ: sed eas huc adducere longum
 est. Ergo dilectissimi tantorum virorum adhortationibus prouocati de-
 mus operam correctiori vitæ vt corporis Domini sacramentum creber-
 rimè suscipiamus. Non nos inde abstrahat communis tepor. Inter multos
 desides strenuè se gessisse, id virò præclare virtutis est. Christus Iesus, qui se
 nobis in via laborantibus ne deficiamus præbuit alimentum, idem ipse in
 patria se nobis seruat præmium, per infinita secula seculorum, Amen.*

Pfalm. 18.

Communi-
 nis sacre fre-
 quentioris
 fructus quis.

Ioan. 10.
 D. Clemens
 papa.
 Communi-
 nis infrequē-
 tioris dāna
 quæ quis in-
 curret.
 1. Cor. 11.

S Hilarius.

SERMO IN EADEM SOLENNITATE.

*Cur & qua charitate in cibum potumq; se nobis
 Dominus Iesus reliquerit su-
 mendum.*

Meritum se in mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, est am-
 dedit in mentibus se. Pfalm. CX. Nō pauca sunt quæ fecit Dominus mi-
 rabilia in cælo, in mari, & in terra, quæ propter hominē fecit quem
 creauit, in cuius solatiū ac auxiliū quæ videmus cuncta, partim in cibū, par-
 tim in potū, nōnulla in ministeriū vt angelos, solem, stellas, & lunā, quæ dā
 in exercitiū, vt sunt hominī quæuis contraria, immunda, toxica, aut mole-
 sta fecit. Quæ tamen cur faceret, non potior est ratio, quā eius bonitas chari-
 tatis erga nos, qua p hęc excitare nos voluit ad cognoscendū amandūq; se
 creatorē ac benefactorē nostrū. Hoc namq; & Paulus testatur, puta inuisibi-
 lia Dei

uisibilia in-
 uisibiliaq; o-
 mnia vt pro-
 pter homines
 creata sint.
 Rom. 1.

T. V
Z. Z

Creationis
beneficium
quanti exi-
gat gratitudi-
nem

Hierem. 19.

Psalm 34.

Labore qua-
to nos Deus
redemerit.

Ephes. 2.
Ioan. 3.
Iuoz. 1.

Modus redē-
ptionis ho-
minum quis
fuerit.

Lucz 19.

Ioan. 10.

Ephes. 5.

1. Pet. 2.

Ephes. 5.

Sub specie
panis & vini
cur Christus
se nobis reli-
querit in sa-
cramento.

lia Dei per ea que facta sunt cognosci oportere. Cognoscēda igitur, laudāda, amandāq; est bonitas creatoris nostri, qui tanti nos existimavit, ut nos, cum non essemus, nec ut conderemur meruimus, crearet, & propter nos omnia hæc visibilia, & inuisibilia faceret. Hoc igitur primum beneficiorum eius, quod quos scivit sibi rebelles ingratosq; creavit. Alterum est, cum nos in suum conditi, creatorisq; præceptum contempnimus, quod non quomodo meruimus, irreparabiliter nos à conspectu suo proiecit, sed cogitans cogitationes pacis, quomodo scilicet, quod in nobis deformatum erat, reformaret, quod amissum restitueret, & quod nisi succurreretur perire necessitabat, servaret, atque saluaret. Atque ideo ad ostendendam suæ erga nos admirabilem dilectionis magnitudinem, parum ei videbatur, quod nos crearet, maxime quod huius beneficij & donorum omnium (quæ obediētes vixissemus Deo in paradiso servassemus) fructu ipsi nos spoliavimus, felicitatem æternam, ad quam eramus creati, amisimus, ærumnas deniq; multas & calamitates, à quibus alioqui fuisset liberi, peccando incidimus. addidit aliud beneficium maius, quod sui amorem magis quoque nobis declararet, nosq; ad redamandum vehementius accenderet. Nam cum creavit ante, in hoc nunc recreavit, hoc est reparavit, licet non tam facile, quam creaverat recrearet: nam sine labore nos creavit verbo, sed non abique labore nos verbo redemit. Vis scire, quo nos labore redemerit? *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus misit Filium suum in similitudinem peccati, ut omnis qui credit in illum, non pereat sed habeat vitam æternam.* Itaque verbum caro factum est, legem ac commissionem habens à Patre, quomodo recrearet, repararet, atque redimeret. Modus hic erat, ut triginta tribus annis propter nos in mundo exul, pauper & ignotus Dei Filius haberet, famem, tristitiam, frigus, æstum, sitim, fationes, necessitatesq; alias & ærumnas multas innocenter sustineret: predicando circumiens, & quod perierat quærens, dispersos Dei filios colligeret: tandem post varias multiplicesq; penas toleratas, animam suam pro illis in mortem traderet, quo nobis parceretur: & ipse peccatum quod non fecerat, exolveret: videretur propter iniquitates nostras, attereretur propter scelera nostra. Et ipse quidem nos gratis redimeret, ipse pro nobis percuteretur: nos vero eius liuore sanaremur. Hoc certe beneficium magnum fuit. Quos enim damnare debuit, pro illis damnatus est, quos æterno debebat igne punire, qui eisdem parceretur, omnium peccatorum vltionem in se recepit: nihil propterea à nobis exigens, quam ne dilectionis suæ erga nos immense obliuisceremur. Quod ne fieret, suavissimæ erga nos dilectionis beneficiorumq; exhibitorum memoriale seu monumentum nobis reliquit, pura semper sum in sacramento sub specie panis & vini. Neque enim satis illi erat, quod alia nobis dedisset omnia, nisi etiam daret nobis seipsum, & hoc in cibum & potum. Sed quare, inquires, in potum cibum que potius, quam in alia? Quia nihil erat aliud, quo suum posset satis erga nos desiderium declarare, quam intimè nos vellet sibi coniungi, quam in sacramento hoc panis & vini. Cibus enim & potus, præter alia dona quæcumque hoc habeat, vltionem solum sine donum quoddam, seu beneficium dantis, sed etiam nutrimentum recipientis: hoc est, ut illa recipiens non tam ea habeat, quam in se illa tra-

uendo conuertat. Clarum est enim cibum & potum in hominis substantiam corporisq; humani alimentum conuerti, vt quod ante sumptionem erat cibus, efficiatur post sumptionem & conuersionem naturalem, hominis corpus. Voluit itaque Christus nos sibi coniungere, & quo posset modo maximè intimo nos sibi vnire. Quod vt nobis significaret, in cibum & potum sumendum, sub panis viniq; specie se nobis reliquit. Non tamen quomodo naturalis corporalisq; agit cibus, vt conuertatur in cibatum, aut idem fiat (vt sic loquar) cum cibato, sed vt eum, qui sua carne refectus est, in se conuertat, (quod longè præstantissimum est) secumq; vnum efficiat. Itaque memoriam fecit mirabilium beneficiorum suorum Dominus, pretiosissimum atque dignissimum quod habebat (hoc est, seipsum sub aliena specie) nobis relinquens, & nobiscum manens vsque in consummationem seculi. Quem in sacramento dum contemplamur, dum tractamus, dum offerimus, dum sumimus quoque, omnia hæc voluit in sui vt faceremus memoriam, recolentes, quanta nos dilectione dignatus sit, quanta misericordia peccatis nostris pepercerit, quanta damnationem æternam milleis commeritam clementia suspendit nobis, quam longanimiter nos diuini portauerit, qua charitate vigilauerit super nos, atque rebelles sapientissima sua benignitate ceperit, nobis semper benefecerit (licet ingratis:) propter nos denique incarnatus, contemptus, afflictus, fatigatus, persecutus, passus, vulneratus totus, atque cunctis viribus & sanguine exhaustus, tandem pro nobis mortuus sit. Voluit nos pius Dominus lux ad nos charitatis in hoc sacramento admonere, qua recalescentes, ipsum redamaremus. De hoc sacramento venerabili & pro huius institutionis dignatione festum diem agimus tam solennem, quam singularem. Is enim, cui festum hunc dedicamus diem, quem laudamus, cui gratias agimus, præsens est reuera nobiscum. Licet enim hæretici non credant Christum in hoc esse sacramento, nisi significatiue tantum: nos tamen Ecclesie sanctæ veræ filij nihil habemus sacramentaliter Domini corpus esse præsens, non vt corpus hoc sit sine anima, aut passibile: sed corpus hoc Christi idem quod habet in celo gloriosum, animatum, diuinitati vnitum (alioquin non idem foret corpus Christi) habemus nobiscum, veneramusq; in sacramento. Quamuis enim corpus Christi solum in specie panis sit ibi sacramentaliter, atque ex vi sacramenti: tamen concomitanter est ibi anima, sanguis, verbum ac tota trinitas, vt pote quæ nequeant à se separari. Nihil etiam nos mouet, quod hæretici dicunt. Christum cum diceret, *Hoc est corpus meum*, significatiue tantum locutum fuisse: quomodo dixerat, *Ego sum lux mundi*, *Ego sum vitis vera*, &c. huiusmodi, vbi certè se per similitudinem luci aut viti comparat. Nam hæc locutio instituentis sacramentum longè alio sit modo, quam reliquæ. Hic enim ponitur demonstratiuum pronomen, hoc, dicendo: *Hoc est corpus meum*. Habebat enim tunc panem in manibus, quem benedixerat Christus, atque discipulis traiebat sumendum, dicens: *Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum*. Neque enim absque demonstratione, & indefinitè panem nominat corpus, quomodo nominabat se vitem veram, vt ad solam nominis significationem similitudinemq; recurramus: sed dicit. *Hoc est corpus meum*.

Vbi quæso similis est locutio in scriptura cum eiusmodi demonstratio
 ecc 3 ne, quæ:

Cibum potumque conuerti in substantiam summentis.

1. salm. 116.

Math. 26.

Christus quæta nos dilectione dignatus sit.

Christus quomodo catholice & vere creditur esse in sacramento.

Math. 26.

Marc. 14.

Lucæ 22.

1. Cor. 11.

Ioan. 6.

Ioan. 13.

Hoc pronomen quod significat in consecratione sacramenti.

Math. 26.

Lucæ 22.

IOAN. 1.
Esa. 48.
IOAN. 1.
MATH. 26.
LUC. 22.
1. Cor. 11.
Corpus qua-
le Christus
discipulis
dedit.

Sensus here-
ticorum de
hoc sacra-
mento cuiusmodi
sit.

Sensus ca-
tholicus de
hoc sacra-
mento quis.

IOAN. 6.

Communi-
care quid in-
terpretetur.

Preparatio
ad sacra-
mentum
communio-
nem omnia
optima qua
sit.

Esa. 66.

ne, quæ significationem tantum, non veritatem exprimat? Nequaquam enim dicit Christus demonstrando, Ego sum hæc vitis, Ego sum hæc lapis, hæc petra, hæc agnus, sicut dixit: *Hæc est caro meum*. De cuius veritate etiam ne omnino dubitarem, mox addidit. Quod pro vobis tradetur. Dedit enim discipulis hoc corpus, quod tunc habebat videlicet passibile & mortale, hoc est, tradendum in mortem & crucifigendum: atque ideo dixit, quod tradetur. Quod enim aliud corpus, quam ipsum suum corpus dedit ad flagellandum pro nobis, & crucifigendum? Nunquid panis, quem (iuxta hæreticos) significatiue corpus vocabat, pro nobis datus est in passionem & mortem? Aut nunquid similitudo corporis Christi pro nobis mortua est? Aut in mysterio tantum, non in vero corpore pro nobis passus est Christus. Quod si esset, quæ tunc nostra expectatio, aut quæ salus nobis ex tali figmento ueniret? Certè si quid boni hoc modo ibi fuerit, hæreticis relinquamus, ut fructum habeant suarum adinventionum. Nos verum Christi corpus intelligimus, credimus, offerimus & comedimus, quod pro nobis in mortem traditum est, quod resurrexit, quod denique sedet in caelo ad dexteram Patris. Huius gustu reficimur, hoc refecti confortamur, hoc manducantes viuimus: quia vitam animæ nostræ in ea nos recipimus, sicut ipse quoque dixit: *Qui manducat me, & ipse uiuet propter me*. Neque enim carnem in hoc sacramento mortuam, sed spiritum summum uiuificantem: Atque ideo quia multi idem corpus Domini accipimus, omnes etiam eodem Christi spiritu vegetamur. Hoc enim & vox illa, communicatio seu communicatio significat. Siquidem quid aliud est, communicare, quam cum reliquis fidelibus Domini corporis, & spiritus eiusdem participem se facere? Accedamus igitur mundi & simplices corde, & panem vitæ, qui de caelo descendit mundoque dat vitam, de altari sumamus. Ad huius sumptionem charissimi præparationem aliam nescio meliorem, quam ut sui profundissima qua potest, humilitatione se homo coram oculis Dei contemnat, accuset & vilificet, stupeatque dignationem erga se admirabilem incomprehensibilemque Iesu Christi Domini nostri, quæ tanti fecerit se, nosque omnes pannos uiles ac menstruales tanta charitate complexus sit, ut fecerit nobis quod nulli hominum, imo quod reor nec angelorum cuiquam comprehensibile sit, se nobis in hoc sacramento tradens in cibum potumque: præsertim cum nullo posset modo alio nobis fieri uicinius, quam hoc modo, quo transformaret nos in se, unumque secum efficieret. Respondeat ergo amor & charitati ipsius feruor, deuotio, desideriumque nostrum, ut simul propter maiestatem eius infinitam ibi latentem reuerentes, ob uilitatem nostram humiles, & propter bonitatem eius nimiam accedamus desiderio feruentes. Præbet hæc nobis benignissimus ipse Dominus noster Iesus Christus, ut misericordissima eius dignatione digni efficiamur: quoniam nunquam ex nobis sumus, nisi indignissimi: & idem sibi in nobis præparet locum, qui habitare cupit nobiscum, sequere ipsum in nobis suscipiat, & quicquid in nobis defuerit, per gratiam suam suppleat, qui est benedictus in secula, Amen.